

Ok. 531, 24.

B. m.

II g
433

MVNVS RECTORIS SCHOLAE LVEBBENENSIS

A. D. VII. AVG. AVSPICATVRVS

DE

CONIVNGENDA GRAECORVM SCRIPTO-
RVM LECTIONE CVM LATINORVM
INTERPRETATIONE

PAVCA PRAEFATVR

AC

PROCERES LVSATIAE
INFERIORIS OR-
DINESQVE

EX VTRAQVE EIUS CVRIA
PERILLVSTRES GENEROSISSIMOS EX-
CELLENTISSIMOSQVE

SENATVM HVIVS CIVITATIS
AMPLISSIMVM

ORACVLORVM DIVINORVM
INTERPRETES

MAXIME REVERENDOS

ET QVOTQVOT REI LITTERARIAE HVICQVE SCHOLAE
FAVENT AD ISTA SOLLEMNIA

CELEBRANDA

IVSSV ET AVCTORITATE

MAGNIF. ET SVMMVM VENERABILIS
EPHORI

RECTE ATQVE ORDINE INVITAT

IMMANVEL IOANNES GERHARD SCHELLERVS

LVEBBENAE IN LVSATIS
EX OFFICINA DRIEMELIA

BIBLIOTHECA
PUBLICA
MAGNANIMA

UNIVERSITÄTS-
HALLE
(BALE)

Q. B. V



um mihi sit crastina die munus Rectoris huius
 scholæ recte atque ordine auspicandum, simque
 iussus prolusionis aliquid præmittere, quod eius
 ratione non indignum esset, etsi argumentum
 longe melius ac subtilius tractari posse sciebam,
 tamen, quia in scholis maxime linguæ Græcæ
 & Latinæ studium excitari aliq̄ue debere constat,
 non male mihi acturus visus sum, si de vtriusque coniunctione
 pauca disputassem, si forte lectorum iudicio sententiam meam
 probarem. Neque vero & assiduam & diligentem scriptorum
 Græcorum lectionem, vt de hac nunc sola dicam, linguæ Græcæ
 subtiliori cognitioni tantum mirifice prodesse iudico, sed
 ad interpretandos Latinos quoque adeo valere mihi persuasi,
 vt, si quis illius ope destitutus ad hos legendos accesserit, mul-
 ta loca prorsus non, multa non satis accurate intelligere mihi
 videatur. Accurate intelligi scriptorem priscum aio ab eo solo,
 qui, quæcunque ibi repererit, eorum causas bene norit, &
 vnde quodque ductum sit, quantum fieri possit, exponere ri-
 te queat. Iam vti multa constat ex prisca historia & geographia,
 multa ex mythologia, multa denique ex cæteris veterum opini-
 onibus explicanda esse, sic permulta e græcæ linguæ indole &
 natura atque ex ipsis Græcis scriptoribus, quorum non pauca
 Latinos scimus fecisse sua, interpretanda esse facillime intellexe-
 rint



sint ū, qui mature hoc sibi agendum putarunt, vt Latinorum scriptorum sententiam non leuiter, more plerorumque, sed diligenter inuestigarent. Horum certissimo consensu contentus facile contemno eorum opinionem, tanquam futilem ac falsam, qui, vt imperitiam suam, opinor, cum aliqua specie defendant, temere iactant, cognitionem linguæ latinæ, cuius imperiti, propter communem opinionem, videri nolunt, sine græca posse esse perfectam omnibusque numeris absolutam. Errare eos & scriptores Latinos atque ita linguam latinam, quam totam ex horum lectione hauriendam esse res ipsa clamat, sine græcorum lectione subinde vix satis intelligi posse, horum hominum gratia breuiter nunc docebimus. Nihil enim dicemus de scriptoribus Græcis, qui historiam vel græcam, quam notum est sepiissime respicere Latinos, vel romanam, quales sunt Polybius, Appianus &c. exposuere, aut qui locorum situs naturamque tradidere, qualem esse scimus Strabonem, aut qui fabulas illas veteres de diis eorumque origine &c. contexuere: hos omnes, licet vnice profint lectioni Latinorum, tamen nunc omittemus, & versabimur nonnisi in eo, vt, quæ ex Græcorum fontibus in Latinos imitatione translata esse vel constet vel verisimile sit, de iis summam exponamus. Non incommode forsitan ea in duas classes describere liceat, alteram rerum, alteram verborum. Ad illam maxime referas *Comparationes pulchras*, quæ tamen nonnisi poetarum sunt, *descriptions atque imagines rerum elegantes & suaves, sententias denique nobiles ac magnificas.* Quarum innumeras e Græcis Latinos in libros suos ita transtulisse videmus, vt aliquo modo, pro cuiusque consilio, immutarent. Iam si tale quid in his reperias, & vel in Græcis antea legeris, vel, vnde ductum sit, certe scias, nonne facilius ac me-

lius

lius intelligas? Nonne etiam inde discas, si quid boni e priscais scriptoribus haurire coneris, quomodo imitatio instituenda sit? Neque enim turpe est, hos imitatum esse, modo recte atque ordine egeris. Sed in hoc peccant hodie multi nostratium, quod vel propter nescio quid superbiae aut potius inscitiae veterum imitationem plane negligant, vel, si eam instituere sustineant, alieno loco vsurpent. Melius faciunt Britanni & Francogalli, quibus nihil antiquius est legitima priscaorum imitatione: qua re subinde efficiunt, ut nostratium multis, si egregiam sententiam in illis reppererint, non hanc e veterum fonte hausisse, sed ipsi fecisse videantur. Hic etsi Latinos hanc maxime viam ingressos esse scimus, ut poetae poetam, historicus historicum, orator denique oratorem imitandum sibi sumserit, non potest tamen negari, multas sententias in prosaiciis quoque reperiri, quae sint e Graeco aliquo poeta manifeste ductae. Id quod de Homero imprimis valere debet, quem quanto studio omnes omnino, ut Graeci, ita Latini olim imitati fuerint, vix dici potest. Poetae maxime quantopere se illius imitationi dederint & fere addixerint, intelligas vel ex Aelia Var.
II. XIII, 22. vbi Galaton quidam dicitur Homerum ita pinxisse, „ut hic vomeret, caeteri poetae, quae is euouisset, ea haurirent“. Quae tabula licet oculis forsitan non nimis grata fuerit, rem tamen, quam intelligi voluit pictor, certissimam esse mihi persuadeo. Quod ut ostendamus, etsi nemini fere ignotum esse arbitror, tamen, quia suaue est, quae bona olim didicerimus, ea subinde repetisse, paucissima exempla subiiciemus, prout se nobis temere obtulere: delectum enim quo minus haberemus, obstitisse temporis breuitatem vehementer dolemus. Hoc propterea monendum videtur, ne lectores, si ab ipsis magis perspicua exempla reperiantur, haec a nobis omissa esse mirentur, & ut
A 3 pot-

potius hanc negligentiam nostræ festinationi tribuendam iudicent. Primo dicemus de poetis, deinde de prosaicis. In illis primum locum facile obtinet Virgilius, qui, ut in Eclogis et Theocrito, in Georgicis maxime ex Hesiodo hausit, sic in Aeneide, opere diuino, Homerum ita secutus est, ut alter Homerus vocari merito possit. Similitudo quidem Aen. X, 405 fs. *Ac velut optato ventis estate coortis &c.* qua nihil elegantius fere vidi, ducta manifeste est ex Jl. λ', 115 fs. nisi quod Maro exemplar suum hic superasse censendus est. Aen. XI, 492 fs. *Qualis ubi abruptis fugit praesepia &c.* est ex Jl. Z, 506 f. Aen. II, 223 f. *Quales mugitus fugit cum &c.* est e ε', 520 f. Aen. II, 416. f. *Aduersi rupto ceu quondam &c.* & III, 441 f. *Ac veluti annosam valido cum &c.* est e π', 765. Neque Ouidius, ut erat intelligentissimus istarum rerum iudex, Homericis veneribus libros suos carere voluit. Ut vnum exemplum laudemus, Metam. XIII, 292 fs. manifeste respexit Jl. Σ, 485. Horatius in odis, etsi hic Pindarum imitari studet, tamen nec Homerum oblitus est. Nam Lib. I, od. 3, v. 4. in verbis: *Obstrictis aliis praeter lapyga &c.* respexisse recte videtur magno Gesnero ad utrem illum Aeoli (Odyss. κ', in.), in quo hic Vlyssis gratia ἀνέμων κατέδρασε κέλευθα praeter Zephyrum. Sed mittimus poetas, praesertim cum & omnino de hac re Critici saepe exposuerint & de Virgiliana Homeri imitatione Fulvius Ursinus separatim egerit; nec quicquam dicimus de descensu Aenæ ad inferos ap. Virgilium, qui Homericus similis est, nec de elegantissima clipei descriptione apud utrumque, nec de nobili famæ imagine Aen. III, 146, quam ex Jl. δ, 443. sumtam esse, nemo est hodie, qui ignoret. Veniamus ad Latinos scriptores prosaicos, quos paucis ostendemus saepissime Græcorum & prosaicorum & vero etiam poetarum libros respexisse, & inde vel descriptiones rerum egregias vel

sen-

sententias magnificas hausisse. Ut iterum ab Homero incipiamus, JI. ε, 309 expresserunt haud dubie Cic. Mil. 21. & Livi^{us} XXVIII, 19. Cui notum non est hoc Xenophontis Memor. I, 7, in. δι' ἧς - ἀγαθός τι γένοιτο καὶ μὴ δοκεῖν βέλοιο: quod durum esse censet ibi Cel. Ernesti ex Aeschyli Sept. Theb. & addit locum e Platone ac Philemone, quem utrumque eodem vult respexisse. addere poterat, si res tanti erat, Clem. Alex. Strom. lib. I. Sed e Latinis loca memorare neglexit. Nos igitur duo laudamus, vbi eadem sententia occurrit, alterum e Cic. Off. I, 19, alterum e Sall. Cat. 54. vbi Waffius locum Aeschyli ab Ernestio laudatum iam memorauit. Porro Thuc. I, 76 ait: σώμασιν ἀλλοτριῶσιν ὑπὲρ τῆς πόλεως χρωῖσται, quem locum, propter sententiæ magnitudinem elegantissimum, præter Isocr. in Paneg. imitatus videtur Livi^{us} II, 9. de Scæuola. Quid pulchrius est descriptione partium humani corporis ap. Xenoph. Mem. I, 4? cuius est tanta suauitas, vt ad eius similitudinem vix quicquam accedere videatur. Hanc expressisse certum est Ciceronem Nat. Deor. II, 57. Sed vti innumeræ sunt istæ imitationes, sic magna in ea re est cautio, ne, si Latinus scriptor posuerit quicquam, quod iam in Græco aliquo reperiatur, illum statim putemus ex hoc hausisse: in quo multi hodie peccare mihi videntur. Homines enim diuersos iisdem tamen rebus moueri, eodemque vel simili modo eas exprimere posse, quid est, quod dubitemus? Equidem hunc modum statuendum esse putem, vt nonnisi acutas & magnificas sententias, quæ non cuiuslibet in mentem veniant, Latinos e Græcis hausisse credamus, cæteras, licet in Græcis quoque occurrant, tamen ingenio Latinorum tribuamus: Nam & hos subinde bene cogitare, cur incredibile videatur? Quemnam autem vsum habet ista comparatio? Supra monuimus, disci inde posse, qua ratione vete-

vete-

veterum imitatio instituenda sit. Accedit, quod rei Criticæ non parum prodest: ad quam etiam eos adspirare, qui cæteris disciplinis sese addixerint, non ita ab ratione alienum videtur, vt multi opinaatur. Sed ad intelligendos scriptores latinos magis valet verborum cum singulorum tum iunctorum e Græcis ductorum cognitio. Nos, vt supra, ita hic breuitati studebimus & de tota hac re summam dicemus. Primum locum obtineant vocabula singula, quorum ea est multitudo, quam si diligenter recensere velimus, ne tempus quidem suppetere videatur. Ex multis pauca delibemus. Dicemus primum de iis, quæ e græca lingua in latinam migrarunt. Hic omittis iis, quæ nimis nota sunt, ponamus duo, quæ scio non ab omnibus rite explicari. *Sceptrum* multi e vernacula ita interpretantur, vt *insigne regum* semper esse velint. In quo ne fallerentur, poterat eos impedire legitima græcæ linguæ comparatio. Hinc poterant discere, *σκήπτρον* non nisi *baculum* significare, quo nisi aliquis possit. Quod vel notatio verbi docet: est etenim a *σκήπτρον* *inniti*. Sed hæc, cum tubinde inepte capteatur, sæpissime temere negligitur. Iam si illud noris, profecto non offenderis loco Virgiliano, ubi dicitur nescio quis *innisus esse sceptro eburneo*. E Græcis laudamus Hom. Jl. β', 199, vbi dicitur Vlysses, si quem militem perperam agentem deprehendisset, eum & verbis obiurgasse & *σκήπτρω ἐλάσαι*: quod dubito an hodie *sceptro, regali* fieri soleat. Deinde vocabulo *adamas* & *adamantinus* solet in plerisque Lexicis non nisi vis ac potestas *lapidis alicuius nobilis* subiici, qua si in omnibus locis vti voles, maxime ridiculus fueris, vt in Hor. III, Od. 24, 5. vbi occurrunt *adamantini clauis*, & ap. Manil. I, 919. vbi leguntur *adamanteæ catene*, it. ap. Virg. Aen. VI, 552, vbi memorantur *solido ex adamante columnæ*. Quæ loca qui sola vulgarium lexicorum ope

instructus interpretari conatur, is turpissime se det necesse est. Qui contra ex Græcorum, maxime poetarum, lectione didicit, *ἀδάμας* solere sæpe notionem *ferri* recipere, & *adamantinus* sæpe poni pro *ferreo* ac deinde pro *durissimo*, is facillime & illa loca expedie & locum Senecæ Herc. fur. 808, ubi est *textus adamas* h. e. *catena ferrea*. videndus de hoc vocabulo inprimis est de la Cerda ad Virgilii l. c. In eiusmodi autem vocabulis Græcis ciuitate latina donatis multus est Plaurus, apud quem occurrit *morus* pro *solido* & *morari* pro *solidum esse*, *malacus* pro *mollis* & *malacissare* (*μαλακίζω*) pro *mollire*, *basilicus* pro *regio* &c. Notari adhuc debet, Latinos in nonnullis vocabulis græcam terminationem præoptasse: sic ap. Virgil. occurrit *Parin*, ap. Ciceronem semper scribitur & ex certissimis Criticorum regulis semper scribi debet *Phænice*, non *Phænicia* &c. Solent deinde Latini vocabulis suis subinde eodem modo uti, quo Græci solent. Homerus quidem, ut ab hoc iterum incipiamus, Jl. 6, 201 orationem indignantis Neptuni incipit *τῷ γὰρ*. Sic Virg. Georg. III, 445. utitur *τῷ nam*. Nam an & hic locum habeat ellipsis illa sententiæ præcedentis, quam, auctore Clarkio ad Homerum, permulti hodie ubique venditant, vehementer dubito. Græci porro ponunt substantiuum pro adiectiuo cum alio substantiuo: sic Latini; in his Virgilius, apud quem notum est occurrere *equus bellator* &c. Contra illi videntur adiectiuus pro substantiuus, in quo genere frequens est Thucydides ubi (I, 36) *τὸ σῆφρον* pro *σῆφροσύνη*, *τὸ δειδός* h. e. *timor*, *τὸ θαρσύν* h. e. *fiducia* &c. reperitur: In Latinis maxime ista ratione uti solet Sallustius, Thucydidis perpetuus imitator. Iam qui huic rei assuetus est, is, si in N. T. tale quid reperit, non de emphasi cogitat; quod multos hodie temere facere nimis notum est. *Ponere* est Latinis *facere*, sicut

B

per-

perraro, v. c. Perf. I, 86 - *doctas* posuisse *figuras* Laudatur: sic
 Græci, v. c. Hom. JI. α', non procul ab inic. ἀλγὶ ἰθῆαι: Quan-
 quam forsan hæc verbi Græci vis ex Hebraica lingua arcessenda est,
 vbi **וַי** sæpe poni pro **וַיִּשְׁמַע** Hebraice docti non igno-
 rant. Ipse Latinis sæpe est *sponde*, vt Ter. Andr. I, 2, 22. *animus* ipse
egrotus h. e. sponde sua, nemine impellente, ad vitia procli-
 uis. sic Græcis ἀνός vsürpatur, vt Hom. JI. δ', 277. Callim.
 H. in Ap. 6. Xenoph. Mem. I, 3, 7. *Domesticus* est i. q. *propri-*
us Ouid. Metam. VI, 686, vbi v. Burmann. sic οἰκῶς Xenoph.
 Symp. VIII, 25. *Hiemem* pro *tempestate* poni vel e Nepote no-
 tum est: & χαμῶνα Græcis eodem modo vsürpari non est, quod
 exemplis confirmemus. *tempestiuus* pro *matureo* est Gr. ὠρεῖος,
 v. c. Xenoph. Oecon. XV, 1. *facere* est *immolare* Virg. Georg.
 III, 77. sic Gr. ἰζδω, εἰζεν, δεῖν, etiam ποιῶσαι. (Luc. II, 27)
Tantum non semel ap. Nepotem, sæpius ap. Ciceronem et ali-
 os est *propemodum*: Eodem modo Græci μινονῶ, μερονῶν δι-
 cunt. *Predicere* pro *iubere*, etiam in Nep. occurrit. sic περσο-
 πῶν & alibi & in Xenoph. Ages. me legere memini. *purpureus*
 dicitur de morte ap. Virg. sic Hom. JI. π', 334 dicitur θάνατος
 πορφύρεος h. e. *mors nigra*. Cum de Homero loquor, memini
 JI. π', 77 Hectorem vocari ἀνδροφόνον; sic Horat. Epod. 17 eun-
 dem vocat *homicidam*. *Ad pro circiter* non semel est ap. Iul.
 Casarem. quod quis neget fieri ex imitatione Græcorum? *eis*
 quidem sic ponitur ap. Xenoph. Cryp. II. non pro. ab in. λέγει-
 σιν ἰσπίας - εἰς οὐτακισχιλίας ἀγειν & paullo post εἰς ἑξακισχιλί-
 ας & εἰς μυρίας &c. sic & πρὸς est ap. eund. Hist. Gr. I. ὡς ἀπο-
 λῶσαι αὐτῶν πρὸς ἑπτακισίαις. Seruit quoque nonnunquam com-
 parationi: notum est hoc Ciceronis Or. II, 6 nihil ad Persum: Eo-
 dem modo πρὸς ap. Platon. Lucianum &c. occurrit. *Si sæpe*
est pro an; vt, præter Virgilium, ap. Ter. Heut. I, 1, 118, vi-

sum

sam *Si domi est*, uti Græcorum *ἰ*, (it. Hebræorum **ON** Job. III, 17) puer est seruus, ut Gr. *παῖς* (it. Hebr. **וַי**) Job. I, 55): cum primum & *vi primum* est ipsum Græcorum *ὁς παῖτος*: Exempla ubique sunt obuia. Aliquis pro magno, egregio Latini dicunt: *aliquid* sic certe est Ouid. Fast. VI, 27 *Est aliquid nupsisse Ioui, Iouis esse ferorem.* sic Gr. *τις*. v. c. Epict. Ench. c. 18 *καὶν δόξης ἰναί τις*: nec semel in Xenoph. Memor. Socr. sic *τι* reperi: etiam in N. T. *τις* sic vsurpatur, ut Act. Ap. V, 36 - *ἀνείη Θεωδῶς, λέγων ἰναί τῶα ἰαυτοῦ.* Ap. Virg. Georg. II, 352. f. occurrit *hoc - hoc pro partim - partim*: Verba sunt hæc:

- - - - - Iamque reperi,
 Qui saxo super atque ingentis pondere testæ
 Vrgerent, hoc effusos munimen ad imbres,
 Hoc, vbi hiulca siti findit canis æstifer arua.

Hic vsus profecto mirus est, nec, nisi e Græcorum scripto-
 rum lectione, explicari potest. Bis autem sic *ἄλλο μὲν ἴδιον δὲ* in
 Isocratiis oratione nobilissima & pulcherrima, quæ Panegy-
 ricus inscribitur, me legere memini. Sed satis de vocabulis
 singulis. Vnum tantum addimus. Inter Criticos hodie con-
 stat, *duo* in Accus. melius & exquisitius dici, quam *duos*, ac si
 vtraque lectio in Codd. reperiatur, illam semper præferendam
 esse. Cum autem tali modo *duo*, ut indeclinabile nomen
 vsurpetur, non sine causâ quærat quis, quid Latinos ad hanc
 rem impulerit. Imitationem Græcorum puto: apud quos *δύο*
 subinde ita vsurpatur, tanquam non per casus flectatur: Ap.
 Thucyd. quidem I, 82 *δύο* pro *δύοιν* legitur. Veniamus nunc
 ad verba iuncta, in quibus breuiter docebimus Latinos Græ-

corum morem sapissime esse secutos. *Aquam & ignem postere* Latini dicunt ita, ut *deditionem populi* indicent. Quod est ipsum Græcum αἰτεῖν ὕδωρ καὶ πῦρ & occurrit sic in Isocr. Lycurgo &c. Quos qui legit, nonne is formulam latinam melius & cum maiori persuasione intelligat, quam cui ad notas confugiendum est? *Venerari virum* dicitur filia illa formosa ap. Phædr. III, 4: quod e Græco ductum esse manifestum est. Sic Xenoph. Mem. I, 2, 24 dixit θησαῖον, vbi Ernesti laudat Dorvill. ad Char. p. 555, moneturque sic occurrere ἀγρίου in Constit. Apost. Fortasse hinc illustrari possit Prop. II, 1, 57 = *meos prædara est femina sensus*. *Sors* dicitur *excidere* Liu. XXIII, 1; pro quo alibi reperitur *exire*: Illud e Græco factum esse, non dubito, cum ἐκπίπτειν sic dicitur ap. Aelia. V. H. III, 45 in. Ap. Cic. ad Diu. IX ep. 3 est *dabimus sermonem* iis &c. quod esse pro: *dabimus occasionem loquendi* s. *faciemus*, ut loquantur, nemo non videt; sed vade hæc formula explicanda esset, nemo, quod sciam, adhuc docuit. Quid si sit e Græco? Eodem quidem sensu reperi λόγον δίδόναι ap. Xenoph. Cyrop. VI, p. 122. Græcos dicere Φυγὴν ποιεῖσθαι pro Φύγεω nouit, qui vel scriptores Græcos attigit. sic *fugam facere* est Ter. Eun. III, 7, 17 pro *fugere*. *Omnia facere* est Latinis omnem operam *dare*, ut Cic. ad Diu. XVI ep. 9. sic Græcis πᾶν ποιεῖν. *Manere in pactione* Nep. XVII, 2 pro *seruare pactionem* est aperte e Græco ductum: vid. v. c. Lycurg. c. Leocr. 19. Græci τὸ ἐν nomini vrbis nonnunquam ita iungunt, ut loca vicina intelligi velint: sic Aelia. V. H. II, 25. ἐν πλαταιαῖς μάχη h. e. *ad Plateas* (nam prælium in vrbe committi mihi, quidem inauditum est): & paullo post eodem modo ἐν μυκάλη *ad Mycalen*. vid. ibi summus Perizon. p. 132. ed. Gron. qui similia exempla e Latinis laudauit. Iam qui istum vsum ne-

scit

scit, etiam si arguitando defatigetur, frustra tamen se torqueat ne-
 cessè est. Cui tandem litterarum latinarum studio ignota est ele-
 gans hæc formula ap. Ciceronem centies occurrens: *vide, ne pro-
 vereor, ne*. Quam e Græco fluxisse mihi persuasi, postquam
 Thuc. I, 82 *ὄρεται, ὅπως μὴ* eodem sensu reperi. Ap. Homerum Jl. 6,
 328 legitur *κεδαιοδείσης ὑσμίνης*, quod quin sit illud Liuiianum (L,
 25) *segregare pugnam* h. e. segregare pugnantes, ut non cum
 multis simul, sed cum singulis congregiare, plane non dubito.
 Neque tamen hinc definire ausim, Liuium ob oculos habuisse Ho-
 merum. Sed cum semel in Homericarum veterum mentionem
 inciderimus, facere non possumus, quin duo eius loca hic sub-
 iungamus: vnus est Jl. λ, 856 f. quem Virgilius bis expressit
 Aen. XI, 831 & XII, 952: Vterque locus est elegans ac dignus,
 qui cum Homero conferatur: alter est ille notissimus versus:
ἄνταρ ἐπὶ πόσιος καὶ ἰδητύος ἔξ' ἔρον ἴτρο; qui sæpe in Hom.
 legitur, v. c. Jl. η, 323: Quis inde non ductum credat hunc ver-
 um Virgilianum: *Postquam exempta fames est amor compressus hæ-
 bendi* Aen. VIII, 184. Etiam constructionem græcam in scri-
 ptoribus Latinis subinde reperiis: quam qui nescit, vel incer-
 tus hæreat vel adeo vitio scriptorem laborare credat necesse est.
 Pauca exempla suppeditabimus. Ut omittamus notissimum il-
 lum accusatiuum, quem vulgo per *quoad* explicant, *desinere*
 non modo iungitur accusatiuo, ut *desinere artem* ex Cic. Epp.
 ad Diu. notum est, sed etiam genitiuo: vt Sil. X, 84 est *desine-
 re ire*. Eodem modo *λήγειν* non modo construitur cum accu-
 satiuo, vt *λήγειν μένος* est Hom. Jl. ν, 424, sed etiam non ra-
 ro cum genitiuo, sic *λήξαι τῷ βίῳ* est in Xenoph. Apol. §. 8.
λήξαι ἀρχῆς Agel. I, 3, 37. & sæpe ap. Homer. *λήξαι μένος* di-
 citur de *occiso, vulnerato ac defatigato*, vt Clarkius alicubi mo-

nuit. *μισθάνομαι* a Græcis coniungi cum participio pro infinitiuo vel pueris notum est. Hunc græcismum imitatus est Virgilius Aen. II, 377 ubi est: *sensit medios delapsus in hostes pro se delapsus esse*: Nec ab simile est hoc Horatii III, od. 4, 73. ubi est: *iniecta monstris terra dolet suis pro: dolet se iniectam esse*. Iungunt deinde Græci libenter *ἀυτῶς* datiuo ac dicunt v. c. *σὺ ἀυτῶ ποιῆς ἐμοὶ* h. e. *tu facis idem, quod ego facio*. Exemplum, licet res sit tralatitia, damus e Xenoph. Mem. II, 5, 14, ubi est: *καὶ τούτοις τὰ ἀυτὰ ἐπιηδούουτες*. Eodem modo Latini: vt Hor. Art. 467 *imitum seruans idem facit occidenti* h. e. *facit idem, quod is facit, qui aliquem occidit*. vid. quos in hanc rem laudant Cort. ad Sall. Cat. 20 & Drak. ad Sil. XV, 400. Mire vero locutus est Tacitus Ann. XV, 36 *hec atque alia plebi volenti fuerit* pro: *hec atque alia plebs voluit, & Agric. 18. quibus bellum volentibus erat* pro: *qui bellum volebant, cupiebant*. Hunc modum loquendi nemo profecto explicauerit, nisi sciat Græcis pro verbo finito solere verbum substantiuum cum duobus datiuis ponere. sic etenim Xenoph. Cyrop. III p. 85 *ὅτι οὐ μὴν ἀχθόμενα ἦν* h. e. *Cuicumque vestrum non molestum fuerit*, Aelia. V. H. XII, 1 prope fin. *ἢ σοι βυλομένω ἔσω* h. e. *si tu vis* Huc referri potest Hom. Jl. ζ, 108 *ἐμοὶ - καὶ ἀσμένω ἔην* *mibi gratum fuerit*, Græci tandem *ἔστω* nonnunquam suo genitiuo præponunt; sic Hom. Jl. η, 525 *τ'*, 825 Xenoph. Mem. III, 3, 3. III, 7, 4. Eodem modo Latini. v. c. Terent. Eun. 1, 2, 122 *caussa virginis feci* & Liu. XXXI, 12 *ac piacularia fieri causa expiande violationis eius templi*, ubi tria alia exempla e Liuiο laudauit Gronouius pater. Festinamus nunc ad figuras. Primo dicemus de *Pleonasmō*. Hic omitemus *mibi, tibi &c.* vt Gr. *μοι, σοι &c.* sæpissime redundare; nihil enim notius est

&

& interpretes scriptorum priscorum sexcenties hoc monuere.
 Monemus tantum, τὸ *potius* subinde ap. Latinos pleonastice
 iungi τῷ *malle*; sic Terent. Ad. II, 2, 13 *malle auferre potius*.
 Cic. ad. Diu. XV, ep. 5 - casum *potius* quam te laudari *maius*:
 Eodem modo additur τῷ *præoptare*, utpote synonymo. sic
 Ter. Hec. III, 1, 17. ut puerum *præoptares* perire *potius* quam
 &c. Hunc autem loquendi formam notum est esse Græcorum
 περιέσθαι μᾶλλον, quod sexcenties sic occurrit. Ellipseos
 vnum tantum exemplum memoremus. Græci ponunt μὴ ita,
 ut Φοβῆμαι intelligant, sic Hom. Il. α', 26; alia exempla dabit
 L. Bos de ellipsis. Latinis sic τὸ *ne* usurpatum video, intellecto
 τῷ *veretur*, v. c. Cic. Verr. I, 55: De Enallage temporum mone-
 mus tantum hæc duo: Græcorum aoristos tralaticium est sæ-
 pissime vel per præsens vel per *solere* explicari. Hanc dupli-
 cem potestatem habent subinde perfecta Latinorum v. c. Virg.
 Aen. XI, 492, quem locum supra iam laudauimus; *qualis ubi*
abruptis fugit &c. nam siue τὸ *fugit* per *solere* explices, siue
 ei vim præsentis tribuas, res eodem redit. μέλλω deinde,
 quod per se futuræ temporis notionem continet, a Græcis ma-
 ximeque Atticis iungitur alii futuro. Exempla laudarem, nisi
 in re nimis nota, lectores offendere viderer. Sed forsitan hinc
 fluxille dixeris hoc Ciceronis ad Att. XIII ep. 10 *fore venturum*,
 pro *venturum esse*. ἀπολεῖται cum realia tum verbalia ap.
 Græcos occurrere norunt ii, qui vel paucissimos scriptores le-
 gerunt. Ex posteriori genere vnum omnium notissimum
 exemplum laudo ex Hom. Il. β', 350 f.

Φημι γὰρ ἐν κατασκευῇ ὀπρῶν κρονίωνα
 ἀεραπτον - φαινον &c. pro ἀεραπτον - φαινον.

Si-

Similiter oratio est ἀναιόλαστος in Ter. Hec. III, 1, 16 :
 Nam *nos omnes*, quibus alicunde aliquis obiectus est labos,
 Omne, quod est interea tempus, priusquam id rescitum est,
uero est; vbi *nobis omnibus* debere proprie esse, quis non vi-
 det? *Apostrophos* ap. Græcos laudo luculentum exemplum rari-
 tus ex Hom. Jl. 9, 423. vbi aperta deest apodosis. E latinis
 notum est illud Virgilio: *Quos ego: sed &c.* Sed hæc hæc-
 tenus. Nam totus liber conscribendus foret, si, quæcunque
 huc pertinerent, ea afferre vellemus. Addere quædam placet
 ad solos poëtas pertinentia: quæ etsi nihil ad eos intelligendos
 valere scio, non iniucunda tamen ei fore putem, qui accurate
 eos legere consueuerit. In Virgilio (Aen. VI, 684) ac sæpius
 in Horatii satiris occurrunt versus carentes cæsura media, quam
 ab Hexametris abesse posse nos quidem hodie negamus: quæ
 res cum possit poëtarum principibus vitio verti, laudemus ali-
 quod versus Homericos, qui omni plane cæsura carent: sic v.
 c. Jl. 6, 52 ib. v. 36. add. 5, 120, 4, 81. *Hiatus*, quem nonnun-
 quam in poëtis Latinis deprehendimus, reperitur etiam in
 Homero, v. c. Jl. 8, 456 vbi v. Clarke. In illis non raro, vt
 metri ratio sibi constet, contrahenda sunt vocabula: sic ap.
 Virgilium *reice capellos* pronuncia *reice*. Cuius generis in-
 numera exempla sunt apud Homerum lectoribusque diligentibus
 subinde non parum difficultatis creant. Pauca subiciemus,
 Jl. α', 399. Πηλέως efferendum est Πηλῆς. ac sæpissime ἔως ο' in
 principio versus pronunciarum debet ἄσο v. c. τ', 402, ψ', 114. ἦ
 ἔχ, vt vnã syllabam efferre debemus, tanquam sit ἦχ, ο', 18. ε',
 450 &c. Poëtæ tandem Latini, præterquam quod more Græ-
 corum, vbi sæpe est ἴσσω, ἐρύσσω &c. litteras duplicant,
 vt *relligio* &c. eorundem imitatione primam vocabuli longio-
 ris syllabam, licet sit per se breuis, tamen sæpe producant. Ap.
 Ho-

Homerum saepe sic reperiri *ἀνομιότα, ἀσάραστοι* &c. amicis
eius non ignotum est

Hæc de Latinorum studio imitandi græcos dicta sunt.
Possim abhuc de *periodorum structura*, latine scribere cupienti-
bus summe necessaria sed, hodie nimis opere iacente, & de *con-
cinnitate* dicere, quam utramque ne Latini quidem negarunt a
Græcis se accepisse: sed de hac re forsan alibi, Deo volente.
Ceterum ex iis, quæ summatim disputauimus, facillime intel-
ligi puto, quam non modo utilis sed necessaria sit lectio assidua
ac diligens scriptorum græcorum iis, qui Latinos rite interpre-
tari &, quæcunque in iis repererint, eorum causas perspicue
exponere velint, quamque fluctuandum sit iis, qui ad hos
legendos sine illa accesserint. Atque ego quidem, qui semper
Latina cum græcis coniungenda duxi, postquam diuina volun-
tate accidit, ut præter spem Rector huius scholæ legeret, pro-
fiteor atque spondeo, me semper hoc consilium, fortasse non
contemendum, esse secuturum, ut, si quem scriptorem Lati-
num vel profaicum vel poetam interpreter, præter ea, quæ ex
antiquitatum historięque veteris alioue fonte petenda sint, sub-
inde similitudinem, quæ inter Græcos Latinosque scriptores
intercedat, breuiter, & quantum eius fieri possit, ostendam

Sed cum mos vitæ ante actæ rationem exponi breuiter
iubeat, eam hic, tanquam in tabula, propono: "Natus ego
„sum a. d. xxii Mart. a. C. cto ro cc xxxv in vico prope Dah-
„mam, cui nomen est Ihlouix. Ibi pater meus, lo. GER-
„HARD, postquam in aliquot locis Thuringicis a sacris fa-

C

„ci-

„ciundis fuerat, eodem munere functus est. Quo a. G.
„CIO IO CC XXXX mortuo, IOHANNA CHRISTINA BEYERIA, ma-
„ter, quam etiamnum viuere lætor, me mature magistro-
„rum & bonorum & fidelium disciplinæ tradidit. E qui-
„bus primus, qui memoretur, dignus est NICOL. SCHNEE-
„GASS, Rector scholæ Apoldanæ in Thuringis, in hoc
„enim oppidum contulerat se mater post patris obitum,
„vir longe meliori sorte dignissimus & ad adolēcentes be-
„ne docendos natus, sed nuper admodum fato defunctus.
„E cuius præclara disciplina veni anno huius seculi septimo
„& quadragesimo in scholam Eisenbergensem, vbi sub M.
„IO. DAVIDE GSCHWENDIO, Rectore, & M. WELKERO Conre-
„ctore, viro non indocto, mansi vsque ad annum
„CIO IO CC LII. ineuntem. Tum etenim diuina voluntate
„factum est, vt, suffragante DATHIO, præfecto agri Leu-
„copetrensis prudentissimo, cuius obitum omnes boni ad-
„huc lugent, Lipsiæ ab ERNESTIO, Viro Summo, inter
„alumnos Thomanos referret. A quo gaudeo me pri-
„mum veram interpretandi rationem didicisse. Etiam Cel-
„IO. FRIDERICO FISCHERO, Conrectori de ista schola etiam-
„num mirifice merenti, me plurima debere eo libentius
„profiteor, quo maiori me semper humanitate ac beniuo-
„lencia complectendum existimauit. Post quinque annos
„schola ita relicta, vt hos doctores non relinquerem, sed
„vbi libros vel diuinos vel humanos publice interpretaren-
„tur, eos assidue diligenterque audirem, in Philosophicis,
„Historicis ac Theologicis secutus sum maxime Winklerum,
„um

„Stemlerum, Ernestium iterum, Kœrnerum, Seidlitium,
„in Hebraicis & Bosseckium & laudatum Fischerum, a quo
„primo lætor me huius linguæ veram indolem ac naturam
„didicisse. Sed optime mecum actum esse puto, quod
„mihi, qui præcipuo linguarum veterum amore ac studio
„flagrarem, mature contigit, vt iuuenes non pauci repe-
„rrentur, qui harum indolem a me sibi tradi vellent. Quæ
„res quantopere subtiliori multorum locorum interpretati-
„oni profuerit, vix attinget dicere. Nuper, cum in lo-
„cum Cl. DRESIGII sufficiens erat, qui scholæ Lubbe-
„nensi præeset, diuino factum est consilio, vt Senatus
„huius ciuitatis Amplissimus hoc munus meæ fidei creden-
„dum iudicaret: id quod crastina die rite auspicari iussus
„sum“

His igitur sollempnibus vt MAECENATES, PATRO-
NI atque FAVTORES; frequentes interesse &, postquam
MAGNIFICVS & SVMME VENERABILIS EPHO-
RVS me in illud munus intromiserit, & decoram Rectoris
Scholastici formam descripserit, me de causis præcipuis, pro-
pter quas Græcæ lingue studium hodie tantopere frigeat, dicen-
tem benigne audire velint, ita rogo atque obtestor, vt
mihi nihil inuicidius honorificentiusue fore, meque adeo
in maximi beneficii loco positurum esse confirmem atque
recipiam. P. P. Lubbenæ in Lusatis a. d. VI.

Aug. a. C. CIOIO CCLXI.





B.I.G.

Farbkarte #13

B. m.



IS SCHOLAE LVEBBENENSIS
AVG. AVSPICATVRVS
DE
A GRAECORVM SCRIPTO-
ONE CVM LATINORVM
RPRETATIONE
VCA PRAEFATVR

AC
ES LVSATIAE
RIORIS OR-
NESQVE

RAQVE EIVS CVRIA
ES GENEROSISSIMOS EX-
ENTISSIMOSQVE

HVIUS CIVITATIS
LISSIMVM
RVM DIVINORVM
TERPRETES

E REVERENDOS
LITTERARIAE HVICQVE SCHOLAE
AD ISTA SOLLEMNIA
CELEBRANDA
ET AVCTORITATE
SVMVM VENERABILIS
EPHORI

ATQVE ORDINE INVITAT
NNES GERHARD SCHELLERVS
ENAE IN LVSATIS
FFICINA DRIEMELIA

